

sentit Christum esse propiciatorem, non sentit, q̄ fide
gratis consequamur, vt iusti reputemur propter Chri-
stum. Et tamen cum opera non possint reddere pa-
catam conscientiam eliguntur subinde alia, fiunt no-
ui cultus, noua vota, noui monachatus, præter man-
datum Dei, vt aliquod magnū opus quærat, quod
possit opponi iræ & iudicio Dei.

Has impias opiniones de operibus aduersarij
tuentur contra scripturam. At hæc tribuere operi-
bus nostris, q̄ sint propiciatio, q̄ mereantur remissio-
nem peccatorum, & gratiam, q̄ propter ea iusti co-
ram Deo reputemur, non fide, propter Christum
propiciatorem. Quid hoc aliud est, quam Christo de-
trahere honorem mediatoris, & propiciatoris. Nos
igitur etsi sentimus ac docemus bona opera necessas-
rio facienda esse, Debet enim sequi fidem inchoata
legis implecio, tamen Christo suum honorem reddi-
mus, Sentimus ac docemus q̄ fide propter Christum
coram Deo iusti reputemur, q̄ non reputemur iusti
propter opera, sine mediatore Christo, q̄ non merea-
mur remissionem peccatorum, gratiam & iusticiam
per opera, q̄ opera nostra non possimus opponere
iræ & iudicio Dei, q̄ opera non possint terrores pec-
cati vincere. Sed q̄ sola fide vincantur terrores pec-
cati, q̄ tantum mediator Christus per fidem oppo-
nendus sit iræ & iudicio Dei. Si quis secus sentit, nõ
reddit Christo debitum honorem, qui propositus est,
vt sit propiciator, vt per ipsum habeamus accessum
ad Patrem. Loquimur aut nunc de iusticia per quam
agimus cum Deo, non cum hominibus, sed qua ap-
prehendimus gratiam, & pacem conscientia. Non
potest